



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Ecclesiastes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum: & garriebam tibi claritati meæ, & diuitiis meis, & saluti meæ, Domino Deo meo. En vera sapientia. Sed redeamus in viam, & nouum stultitiæ genus cum Ecclesiaste discutiamus.

SECTIO SEXTA.

ECCLESIASTES.

VERSUS II. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.

METRICA PARAPHRASIS.

CVM Lybia fœtus per inhospita tesqua cerastes,
 Impatiens Cancri, tactusque Hyperione multo,
 Æstuat, hirta petit nemorum dumeta, & opacâ
 Valle latens, patulis defendit frondibus æstus.
 Hunc si fortè vagus per deuia rura viator
 Pressit humi nitens, bifida mox cuspide lingue
 Emicat, ac tacito perstringit vulnere plantam.
 Ille sui securus, & illetabilis ietus,
 Carpit iter salebrosum, & cæco carpitur igni,
 Donec seua lues sensim insinuata per artus
 Labitur, & penitas cæco ebibit igne medullas.
 Tum verò fuscari ora, & caligine mergi
 Lumina, torqueri cruciatu viscera, nerui
 Distendi: Veluti cum taxum in cornua lunæ
 Parthus, & in vulnus neruo sua spicula iungit.

Tan-